

III. Simonia est peccatum gravissimum (21); et si sit iuris divini et naturalis, materiae parvitatem non admittit. Si autem Simonia sit iuris ecclesiastici, potest in ea dari materiae parvitas iuxta S. Lig. l. 3. n. 50. (22). — Ratio est, quia res spiritualis quaelibet ex comparatione cum re temporali cum magna iniuria in ipsum Deum vilipenditur. Constat etiam ex verbis S. Petri ad Simonem Magum, *Act.* 8. 20.: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

290. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An sit Simonia dare principaliter quidem temporale ob spirituale, sed non unice?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia etiam sic adest comparatio rei temporalis cum spirituali. Motivum enim quod adiicitur, quantumvis honestum sit, prioris motivi, propter quod principaliter datur temporale, malitiam et impietatem non destruit. Constat etiam ex proposit. 43^a ab Innoc. XI. damnata. — S. Lig. n. 54.

QUAER. 2^o *An sit Simonia dare temporale ad sibi conciliandum Superiorem intuitu beneficii obtinendi?*

Resp. Neg. si intentio primaria sit dandi gratis temporale; quia tunc comparatio immediata fit rei temporalis cum temporali, nempe benevolentia Superioris. Secus autem, si intendatur res spiritualis ut debita retributio, non vero ut effectus gratitudinis animi. — S. Lig. n. 51.

(21) Communis doctrina est, simoniam ad speciem reduci *sacrilegii realis*, quo irreverenter res sacra pertractatur. Nam reipsa illico apparet sacrarum rerum profanatio et iniuriosa tractatio, dum temporali pretio aequiparantur, et sic infra dignitatem, qua pretium omne superant, prorsus abiciuntur. Vid. Suarez (*De Sim.* cap. 1. n. 7.) et Schmalzgr. (lib. 5. tit. 3. n. 12.).

(22) Ratio, cur dari levitas materiae possit in simonia iuris ecclesiastici, haec est, quia ista simonia non ideo interdicitur, quasi pro re spirituali detur temporale pretium, sed ab Ecclesia prohibetur ad omnem simoniae et avaritiae speciem, aliaque incommoda removenda: unde per hanc non fit proprie iniuria rei sacrae, sed tantum Ecclesiae praeceptum violatur; in hoc autem parvitas materiae inveniri potest.

Imo parvitas oblatis muneris, excusare etiam a simonia iuris divini potest, qua-

tenus res levis momenti (v. gr. nonnullae aviculae, aut rari flores, aut fructuum primitiae) cum apta non sit ad ullam inducendam obligationem, v. gr. praesentandi ad Canoniatum, atque adeo rationem pretii habere nequeat, eo ipso cessat quaelibet contractus sive expressi, sive taciti suspicio. Pirhing (lib. 5. tit. 3. n. 133.).

Haec tamen non videntur valere quod examinantes in concursu ad paroeciam. His enim sub poenis simoniae propriis interdicitur, *ne quidquam prorsus* recipiant sive a candidato (qui dando incurreret easdem poenas, etsi alioqui sufficientia relaturus esset suffragia), sive ab aliis. Et quamvis aliqui a poenis excusare eos velint ob materiae levitatem, veluti si modica esculenta vel poculenta quis examinatori largitus sit, obstant tamen tum verba decreti, *ne quidquam prorsus*, tum S. Congr. declaratio. Vid. Thesaur. (*De Poenis Eccl. V. Simonia*, cap. 4.).

QUAER. 3^o *An sit Simonia obire functiones sacras principaliter ob stipendium, vel recipere aliquid pro doctrina sua?*

Resp. ad 1^{um} Neg., saltem *probabilius*, quia stipendium non recipitur ut pretium rei sacrae, sed tanquam debitum personae, quae in proximi gratiam occupatur. — S. Lig. n. 55. — Lacroix, n. 62., et alii communiter contra aliquos. Idcirco si inordinata quaequam affectio intercedat (nam aberit omnis culpa, si indigentia aut alia honesta causa ad quaerenda huiusmodi stipendia impellat), non Simoniae, sed avaritiae vitium erit.

Resp. ad 2^{um} Affirm., si instructio tendat ad bonum spirituale aliorum, quia est res spiritualis, nisi tamen accipiatur titulo stipendii seu sustentationis. Secus vero si instructio sit mere temporalis, v. gr. in tradenda explicatione sacrarum Litterarum aut theologiae (23). — S. Lig. n. 94.

291. — **QUAER.** 4^o *An Simonia sit pecunia se redimere ab iniusta vexatione circa beneficia, aut aliud bonum spirituale v. gr. Sacramenta, etc.*

Resp. Neg., saltem *probabilius*, quia vexationis liberatio, quae sola directe intenditur, est quid temporale. — Hinc potes dare pecuniam inimico tuo, si conetur per fraudem impedire electores, ne tibi faveant. — S. Lig. n. 101., et alii communiter. Imo in idipsum DD. consentiunt, etiamsi solis precibus impedire velit (24). Non autem potes dare pecuniam iis, qui obesse vel prodesse possunt eligendo vel praesentando ad beneficium; etenim offerre illis pecuniam ne obsint, idem foret ac offerre, ut prosint, scilicet ut consensum non denegent. — S. Lig. n. 99. Nec tibi licet pecuniam dare competitori tuo, ut desistat ad beneficium concurrere, quia tibi nulla est iniusta vexatio redimenda, et viam directe ad beneficium per pecuniam tibi parares, quod simoniacum est. — *Ita communior.*

QUAER. 5^o *An Simonia sit dare vel accipere aliquid pro ingressu in Religionem?*

Resp. 1^o Certum est, non licere dare vel accipere aliquid pro solo ingressu; quia hoc esset commutatio rei sacrae, cuiusmodi est Religio, cum re temporali.

2^o Certum est etiam, licere monasterio pauperi aliquid exigere pro ingredientis sustentatione, quia tunc non commutatur res spiritualis cum

(23) S. Thomas: *Ille qui habet scientiam, et non suscipit cum hoc officium, ex quo obligetur aliis usum scientiae impendere, licite potest pretium suae doctrinae vel consilii accipere, non quasi veritatem aut scientiam vendens,*

sed quasi operas suas locans (2. 2. q. 100. art. 3. ad 3.).

(24) Ita S. Alphonsus (lib. 3. n. 101. et 102.). Ratio, quia si licet dare pecuniam, ut alter a me vexando cesset contra iustitiam, licebit et dare, ut cesset vexare contra charitatem.

temporali; et alioquin postulat aequitas, ut recipiatur aliquid, ne monasterium oneribus gravatum corruat.

3^o Certum est pariter, licere monasterio aliquid exigere pro sustentatione Novitiorum, quia cum non adhuc pertineant ad Religionem, et pro libitu discedere possint, et saepe reipsa discedant, aequum non est monasterium pro ipsis tam gravi oneri subesse. Religio tamen Fratrum Minorum ex decreto speciali nihil accipere potest.

4^o Controvertitur autem, si agatur de monasterio opulento. Licere negat S. Lig. n. 92., nisi recipiendus sit senex vel infirmus. Affirmant tamen alii non pauci, modo non exigatur pecunia pro ipso ingressu, sed recipiatur aut postuletur tantum ratione sustentationis, seu dotis (25). Caeterum nunc evanescit omne dubium ob temporum difficultatem. Nulla enim inveniuntur monasteria adeo opulenter fundata, ut auxilio alieno pro praesenti et futuro uullatenus indigeant. Caeterum Moniales dotem statutam semper exigere possunt (26), ut ex pluribus decretis constat.

292. — QUAER. 6^o *An Simoniam committat Sacerdos, qui spondet laico Missam pro exitu ludi, dum socius pretium temporale exponit?*

Resp. Neg. per se, quia hac ratione res spiritualis non aequiparatur proprie temporali, sicut non aequiparatur, quando Missa dicitur pro stipendio; sed tantum offertur executio rei spiritualis loco temporalis,

(25) Nimirum ex indulto, ut ab ingressuris dotem recipere possint moniales, licet dives sit monasterium, inferre quidam generatim voluerunt id ipsum de virorum monasteriis, ut saltem *titulo sustentationis* licite exigere quidpiam possit.

At nisi agatur de bonis sponte oblatiis, quia omne in his cessat periculum et species simoniae (licet alioquin aliis de causis prohiberi et gratuita donatio possit, ut fit in donatione examinatoribus parochorum collata), verior et communis sententia cum S. Thoma (2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.) id negat, et nititur c. *Quoniam* 40. *De Simonia*. Ratio est, quia redditus monasterii sunt ecclesiastici, ordinati ad sustentationem religiosorum gratis suppeditandam. Ergo hoc ipso, quod quis in Religionem suscipiatur, ius habet ad sustentationem ex redditibus monasterii percipiendam. Non potest igitur titulo sustentationis, ad quam praebendam dives monasterium par est, aliquid exigere. Defi-

ciente autem titulo sustentationis, iam superest, ut pro ipso ingressu exigere quidpiam videatur. Schmalzgr. (lib. 5. tit. 3. n. 200-201.).

(26) Triplex tamen limitatio addenda est: 1^o ut pacta dos non detur *pro ipso ingressu*; nam simoniacum id foret, etiamsi inops sit monasterium — 2^o Ut non admittatur aliqua inhabilis ex sola spe aliquid ab ea temporale recipiendi; sic enim susceptionis finis, isque principalis et a suscipientibus intentus, foret aliquid temporale. Atqui simoniacum est dare aliquid spirituale ob finem temporalem extrinsecum, praesertim si is principaliter intendatur. — 3^o Ut citra necessitatem dos non ab omnibus indiscriminatim exigatur: sic enim pauperes, saepe magis dignae et idoneae, e statu religionis penitus excluderentur, dum aliae, forte minus idoneae, utpote divites, reciperentur; quod utique irrationabile est. Schmalzgr. (lib. 5. tit. 3. n. 197.).

quae foret alioquin tradenda. Non enim peccat qui offert creditori 100 Missas pro eo celebrandas, ut remittat debitum 100 francorum; ergo a pari nec peccat, qui spondet Missam pro exitu ludi, dum alter 20 asses exponit. — Ita Voit, n. 506. contra alios. — Caeterum eiusmodi ludus raro caret aliquo scandalo, et proinde semper dissuadendus est.

QUAER. 7^o *An Simoniam committat Sacerdos, qui pro Missa stipendium supra taxam consuetam aut ab Episcopo statutam exigit?*

Resp. Neg., nisi mente simoniaca agat; quia cum alium habeat titulum exigendi remunerationem, deficit comparatio inter spirituale et temporale. Peccaret quidem contra obedientiam vel iustitiam plus aequo exigendo, minime vero contra Religionem. Contradicit tamen Voit, n. 497, quia (ait) tunc deest omnis iustus titulus exigendi temporale (27).

293. — QUAER. 8^o *Quaenam sint poenae in simoniacos latae?*

Resp. 1^o Sola Simonia confidentialis et realis in collatione Ordinum ac beneficiorum, et ingressu in Religionem poenis ecclesiasticis subiacet (28): nam Pontifex Paulus II, renovans omnes poenas antea in simoniacos latas, loquitur tantum de praedictis Simoniae speciebus; imo iuxta non paucos poenae pro simoniaco ingressu Religionis abierunt in desuetudinem: saltem nunc casus earundem incurrendarum rarissimus est (29).

(27) Non unus est Voit, qui hanc sententiam teneat; ipsam enim et Reiffenstuel docet (lib. 5. tit. 3. n. 200.), et Schmalzgr. (lib. 5. tit. 3. n. 100.) cum Friderich (*De Simon.* cap. 2. n. 67.), et Azor (part. 3. lib. 12. cap. 6. q. 4.), in eamque inclinatur Suarez (*De Simon.* cap. 47. n. 6.), quem proinde falso pro opposita allegant Salmanticenses (Tract. 19. cap. 2. n. 23.), hanc insuper gratis tribuentes Dominico Soto et Toletio. Adde, quod alii saltem praesumptam simoniam in hoc reperiri affirmant. Ita Bonac. (*De Simon.* disp. 1. q. 6. p. 2. n. 3.), Palaus (*De Simon.* disp. 3. punct. 9. n. 2.), Filliuce. (Tract. 45. cap. 10. q. 7. n. 28.) et Lessius (lib. 2. cap. 35. n. 51.).

(28) Excipe tamen cum Fagnano (In cap. *Nobis De Simonia* n. 13.) simoniam etiam mere conventionalem in electione Romani Pontificis. Nam Iulius II. Const. *Cum tam divino*, 14. Ian. 1505, §. 1. poenas statuit contra electores, qui simo-

niam commiserint, *dando, promittendo, vel recipiendo pecunias, bona cuiusque generis, castra, officia vel beneficia, seu promissiones et obligationes, per se vel alium seu alios quomocumque et qualitercumque etc.* Poenas autem in eiusdem Constitutionis §. 5. recensitas habes. De his autem aliisque poenis ita SS. D. N. P. Pius IX. (Const. Apostolicae Sedis): *Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt pro R. Pontificis electione... eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus ac declaramus.*

(29) In praecedenti Editione advertetur, raro eiusmodi poenas incurri non una de causa. Ac 1^o quia Constitutio Urbani IV (Extrav. *Sane 1. De Simonia*) quae poenas

Resp. 2^o Poenae contra ordinationem simoniacam ex antiquo iure erant: I. Quoad ordinantem (30).

infigit, non ubique videbatur recepta, et non receptam esse contendit Navarrus, *Constitutionum Apostolicarum* (ut ait Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 255.) *scientissimus*; eumque sequuti fuerant Lessius, Palaus, Silvester et quisquis alius docuit, excommunicationem incurri solum ob simoniam in sacris Ordinibus et Beneficiis. 2^o Praetermissis monialibus, quae veniam habent recipiendi dotem et de ipsa paciscendi, in monasteriis quoque virorum si quid recipiatur, fere recipitur solum, quia sponte oblatum est; vel etiamsi exigatur, cohonestatur exactio ob monasteriorum inopiam, ut necessaria videatur ad professi sustentationem; vel denique, si monasterium sit dives, etsi non absit simoniae crimen, constitutio tamen quoad poenas videri potuit non recepta, ut monet Schmalzgr. (l. c. n. 256.). Verum cum in SS. D. N. P. Pii IX Constitutione *Apostolicae Sedis* inter Excommunicationes latae sententiae R. Pontifici reservatas recenseatur (n. 10.) inflicta contra *reos simoniae realis ob ingressum in Religionem*; idcirco quod dici consuevit de non recepta Urbani IV Constitutione, aut non recepta saltem quoad istam poenam, nunc ut obsoletum habendum est.

(30) Intelligi debet, non modo qui ordines conferebat, sed etiam qui ad ordinationem praesentabat; quod munus ordinarie erat Archidiaconi, cuius erat examinare, an ordinandi haberent ordinationis titulum, num essent digni, etc. Comprehendebantur autem tum locorum Ordinarii, qui dimissorias litteras ad ordinationem ab aliquo Episcopo suscipiendam, tum etiam superiores Regulares qui eiusmodi litteras suis subditis dedissent.

Praeterea Ordinationis nomine hic comprehendenda videtur etiam collatio primae tonsurae, ut patet ex hisce verbis Sixti V,

Constit. *Sanctum* § 6.: *Caeterum si quis Antistes vel Abbas, servatis quidem... omnibus, quae in ipsius tonsurae et ordinum collatione observari debent, personas habiles et idoneas, sed tamen recepta ab iis quibus tonsuram aut ordinem conferet, pecunia, pretio, praemio simoniace in futurum insigniverit vel promoverit; volumus, ut praeter alias censuras ac poenas contra simoniace ordinantes et ordinatos a sacris Canonibus et Constitutionibus Apostolicis alias inflictas et irrogatas, quibus nequaquam derogare intendimus, etiam omnia et singula supradicta in sic promoventibus et promotis locum habeant.* Ex quibus facilis forte via sternitur ad solvendam quaestionem, quae inter DD. agitabatur, an poenae latae contra simoniacas ordinationes extendi deberent ad simoniacam collationem primae tonsurae; quam quidem auctores fere ita tangebant, ut negantem quoque sententiam probabilem dicerent, ea ducti ratione, quod Synodus Tridentina (Sess. 21. cap. 1. *De Reform.*) contra hoc crimen poenas solum decernat *a iure inflictas*; iura autem poenas infligant simoniacae collationi *Ordinum*, quo nomine negabant venire *tonsuram* (Vid. S. Alph. lib. 3. n. 110.). At enim in Sixtina Constitutione duplex poenarum genus habemus, nempe 1^o poenas et censuras a iure inflictas; 2^o poenas et censuras ab ipso Sixto V superadditas. Esto porro, habeantur modo abrogatae per Const. *Apostolicae Sedis* veteres poenae illaeque a Sixto V superadditae; at duriusculum merito videbitur existimare, Synodum Tridentinam et post eam Sixtum V voluisse quidem (ut videtur) simoniacam quoque primae tonsurae collationem poenis (sane aliquibus) iure contentis comprimere, et

1^o excommunicatio Papae reservata;

2^o suspensio a collatione cuiuslibet Ordinis, etiam primae Tonsurae;

3^o suspensio ab executione omnium munerum pontificalium;

4^o interdictum ab ingressu Ecclesiae;

5^o suspensio ab administratione Ecclesiae (31). — Schmalzgrueber, Lib. 5. tit. 3. n. 257. Verum cum harum censurarum nulla confirmetur aut innovetur in SS. D. N. Pii IX. Constitutione *Apostolicae Sedis*, eo ipso hae omnes habendae sunt ut abrogatae.

II. Ex veteri iure quoad ordinatum

nihilominus, dum *iura* appellant, ita lapsos memoria, ut *negari* ipsis (ut scholae dicunt) *suppositum* queat. Sed quidquid de hoc sit, certum esse debuit, saltem poenas ac censuras in Sixtina Constitutione statutas ob simoniacam tonsurae collationem vitari non potuisse adeo ut Ordinandus (§ 2.) a collatione quoruncumque ordinum atque adeo ipsius tonsurae et ab executione omnium munerum Pontificalium eo ipso suspensus et ab ingressu Ecclesiae interdictus existeret. Caeterum incertae auctorum de hac re opiniones ex hoc repetendae videntur, quod diu multis in locis Sixtina haec Constitutio ignorata fuerit. Ad nos vero quod spectat, satis sit advertere, simoniacam ordinationem praetermissam fuisse a Pio IX in sua Const. *Apostolicae Sedis*.

(31) Excommunicatio contra simoniace ordinantes S. Pontifici iam reservabatur in Extrav. *Cum detestabile* 2. *de Simonia*. Sixtus V autem Constit. *Sanctum* 5. Ian. 1588. quoad ipsam expresse derogaverat dispositioni Tridentinae cap. Licet. sess. XXIV. cap. 6. *De Reform.*, quando crimen esset occultum: quod et de absolutione ab aliis censuris dicendum erat a quibus proinde Episcopus, sive occulti essent casus sive publici, absolvere non poterat.

Porro quod S. Alphonsus (lib. 3. n. 117.) eam Sixti V Constitutionem tribuerit S. Pio V, addens, ipsam quoad hoc non esse receptam, totum debetur confusio-

a Salmanticensibus inductae, ubi scribunt (*De Simon.* cap. 4. n. 34.) *ab excommunicatione incursa ob simoniam in Ordine, Beneficio et Religione... si publicae non sint, posse Episcopum absolvere. Nec* (inquiunt) *contra hoc obstat Bulla Pii V revocans hanc et alias facultates Religiosorum, quia quoad hanc partem non est recepta.* Et allegant Lessium, Sa, Suarez et Palaum. — Porro non Pius V, sed Sixtus V, uti dictum est, episcopis abstulerat hanc facultatem, non tamen quoad omnes illas censuras, sed solum quoad simoniacam SS. Ordinum collationem. Falsum est insuper, Sa et Suarez favisse huic errori, imo Suarez oppositum (*De Simon.* cap. 61. n. 6.) docet. Lessius demum (lib. 2. cap. 35. n. 134.) solum dicit, Constitutionem Sixtinam (non vero Pii V) *multis in locis ignorari*, et idcirco *ibi non esse usu receptam*.

Nec ob stare debebat, quod Sixti V Constitutio a Clemente VIII (*Const. Romanum* 28 Febr. 1595.) redacta fuisset ad terminos iuris communis. Id enim intelligendum est quoad caetera ibi contenta; nam poenae et censurae contra simoniacam ordinationem latae a Sixto V, etiam a Clemente VIII, ut communiter DD. advertunt, confirmatae fuerant. Ita Clemens (*Const. cit.* §. 2.): *Supradictas litteras (Sixti V) ad terminos SS. Canonum... et ad dispositionem decretorum Concilii Tridentini restringimus et reducimus, nec non censuras et poenas in*

1^o excommunicatio Papae reservata (32),

2^o suspensio ab executione saltem Ordinis simoniae suscepti (33),

3^o itidemque suspensio a spe ascendendi ad Ordines superiores (34),

Et 4^o si eiusmodi suspensiones violarentur, accedebat privatio officiorum et beneficiorum quoad Clericum saecularem, privatio vero vocis tum activae tum passivae quoad Clericum regularem.

At vi Constitutionis *Apostolicae Sedis* istiusmodi censurae locum amplius non habent (35).

iisdem Sixti litteris contra quoscumque, PRAETERQUAM CONTRA SIMONIAE ORDINANTES ET ORDINATOS INFLECTAS QUAS VOLUMUS IN SUO ROBORE PERMANERE, *moderamus et abolemus*.

(32) Summo Pontifici reservabatur, etiamsi crimen esset occultum, ut supra dictum est.

(33) Quaestio vertebatur DD., utrum haec suspensio restringenda esset ad ordinem male susceptum, an vero extendenda ad alios quoque ordines antea susceptos. Haec controversia modo, sublata iam ista censura, locum amplius non habet.

(34) Cum suspensio a spe ascendendi ad Ordines superiores non sit proprie censura, sed potius *irregularitas* ideo haec in suo robore manere videtur. Per Constitutionem enim *Apostolicae Sedis* sublatae utique sunt censurae omnes, praeter eas, quas ibi Summus Pontifex vigere declaravit et statuit; at quoad alias poenas, quae proprie *censurae* nomine non veniunt, nihil in ea Constitutione decretum aut innovatum est. Si tamen crimen sit occultum, poteritne ab hac irregularitate dispensare etiam Episcopus ex cap. *Liceat*? Negandum videtur; nam, ut in Nota praec. habetur, Sixtus V quoad poenas huic crimini inflectas, facultati a Trid. Synodo Episcopis factae *dispensandi* in irregularibus ob crimen occultum derogavit. Excipietur, nisi Constitutio alicubi recepta usu non sit.

(35) Quamquam certum sit ac manifestum, vi Constitutionis *Apostolicae Sedis*

cessasse omnes censuras, quae contra simoniacas Ordinationes a Sixto V latae et a Clemente VIII confirmatae fuerant; merito tamen suboriri dubium potest, num alia causa censurae aliqua contra hoc crimen latae adhuc vigeant. Dubitandi ratio inde potest esse quod in praedicta Pii IX Constitutione decernatur, ut firmatae in suo vigore permaneant censurae, quas S. Tridentina Synodus inflixerit. Porro Synodus Tridentina (sess. 21. cap. 1. *de Reform.*) statuit, ut rei simoniae in *collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsurae... poenas a iure inflectas ipso facto incurrant*; indubie autem in iure censurae illi crimini inflectae reperiuntur.

Verum si forma inspiciatur verborum Constitutionis, haec omnino referri videntur ad censuras, quas S. Synodus per se ipsa statuerit. Sic enim de excommunicationis censura: *Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolute, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus*. Et rursus: *Denique quoscumque alios sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus*. Porro minus proprie diceretur S. Synodus aut *excommunicasse*, et quidem *declarando*, num *absolutionem reservaret*, nec ne R. Pontifici aut Ordinariis, itemque *decre-*

Resp. 3^o Poenae ob simoniam realem in materia beneficiaria (36) sunt:

1^o excommunicatio Papae reservata; quam quidem poenam incurrunr non modo conferens et recipiens beneficium, sed ii quoque, quorum mediatione et cooperatione contractus simoniacus perficitur. Nam in *Constit. Apostolicae Sedis* inter excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatas, habetur (n. 8.) et inflecta contra *reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices* (37).

visse suspensos aut interdictos quosdam, quando mere poenas generatim a iure inflectas intentabat seu confirmabat.

Praeterea, ut recte arguit Petrus Avanzini (*Append. ad Comment. de Constit. Apost. Sedis* pag. 156.) id satis desumitur ex *Constitutionis scopo*, qui fuit ut occurreretur gravissimis incommodis, quae oriebantur ex magno censurarum numero quae per singulas aetates indictae ac promulgatae fuerant, e quibus certae quaedam, temporibus moribusque mutatis a fine et causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate exciderant, quocirca non infrequenter sive in iis, qui curam animarum gerunt, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque oriebantur. Exinde S. Pontifex, Nos (inquit) *eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earundem recensionem fieri, Nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare et retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta... decernimus ut ex quibuscumque censuris... non nisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, robur exinde habeant*. Scopus ergo, ad incommoda praedicta submovenda, fuit, ut certus quidam statueretur censurarum numerus et elenchus. Porro scopus iste deficeret, nec praedicta incommoda cessarent, si intelligantur comprehensae censurae per generalia verba a Synodo Tridentina renovatae seu confirmatae.

(36) Haec accipi debent de beneficiis

proprie dictis, cuiusmodi non sunt pensiones, aut vicariae temporales etc.; exinde qui pensionem spiritualem vendat, simoniam quidem committit, subiectas tamen poenas non incurrit.

Beneficia autem intelliguntur non modo *saecularia*, v. gr. Episcopatus, canonicatus, decanatus, paroecia, etc., sed etiam *regularia*, cuiusmodi sunt generatim Regularium Praelaturae, quae non consistant in nuda commissione ad nutum revocabili, sed in munere ordinario, uti sunt generalatus, provincialatus, abbatia, praepositura, prioratus, rectoratus, guardianatus, etc.

(37) Si occultum sit crimen, ab hac excommunicatione absolvere potest Episcopus ex cap. *Liceat*. Ita enim disserte in cit. *Const. Apostolicae Sedis*. *Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam* sess. XXIV. cap. 6. *de reform. in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus*. Porro excommunicatio contra *reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices*, non pertinet ad reservatas Sedi Apostolicae speciali modo. Ergo.

Ante praedictam Pii IX Constitutionem ab eiusmodi excommunicatione vi specialis Privilegii absolvere poterant etiam Mendicantes, cum limitatione tamen a Clemente VIII apposita, nimirum *extra Italiam; et intra Urbem*, quo nomine DD. intelligunt, etiam *Urbis districtum*. Utrum